

Et faciet , pergis quoniam s̄evire , nec ullum
 Heu facis irarum , stultitiaeque modum ;
 Nec te divinus durum puer , optima nec te
 Virgo movet largis fletibus uda sinum ,
 Muta metu , tremefacta animi , externata fragore
 Horrifico , tua quem flabra crient , puerum ,
 Ah dulcem puerum tua ne mala flamina perdant
 Usque timens totis anxia pectoribus .
 Sed jam sive metu , dulci seu vietus amore ,
 Seu nostra motus constitit ille prece .
 Non antrum horrisonis resonat plangoribus : en ut
 Vix siccæ huc illuc pervolitant paleæ .
 Vana loquor : gravius rursum , & crudelius urgens
 Ah miserum , ah flentem conficit , & lacrimas .
 Illius , & vanos questus , atque irrita nostra
 Discerpit campos dicta per aerios .

ELEGIA IX.

AD BENEDICTUM XIV.

QUUM EX GRAVI MORBO CONVALUISSET.

Sancte Senex , ipso versantem in limine lethi
 Quum vidit nuper te tua Roma , metu
 Palluit , & subito pectus concussa dolore
 Ad cœlum palmas , uvidulasque genas
 Tollens ; o superum , dixit , Rex , o bona virgo ,
 Quam toties gelidis visit in Exquiliis ;
 Cui vetus a templo senium detersit , & auro
 Fulgenti , & pario cuncta novans lapide :
 O superi , quos ad meritos proveyxit honores
 Scriptisque , & cura pervagil adsidua ,